



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Veritates Æternæ Ex Prima Hebdomade Asceseos  
Jgnatianaè Petitaè**

**Vogel, Matthäus**

**Constantiæ, 1731**

Præfatio

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60667)



## PRÆFATIO

**V**eritatum æternarum, quas S. Ignatius in Asceti sua proponit, consideratio, quantam hactenus Ecclesiæ utilitatem attulerit, latere potest neminem. Illud dolebam sæpe, Veritates ejusmodi nulli non hominum generi per libros passim impressos exhiberi, inculcarique, solam ferme Juventutem Studiosam, velut ad eas capiendas minùs idoneam, relinquere. Movit me amor, quo ætatem hanc teneram amplector in Domino, ut primùm Considerationes aliquot ea de re, privato discipulorum meorum usui idoneas, conscriberem; quas cum à variis adhibitas, à multis descriptas, à pluribus etiam non Studiosis expetitas, suo non caruisse fructu adverterem, luci publicæ eas committere

A 2

volenti

*PRÆFATIO.*

volenti, non potui non annuere. Servient, ut spero, etiam illis, qui Studiosi non sunt. Stylum quod attinet, adhibui, quem potui captu facillimum, Pietatem nimirum in his & Virtutem unicam quærens. Utere labore hoc, tu præferim Studiosa Juventus, ad salutem tuam. Modum meditandi si non calles, quem tamen reipsâ clarè expressum reperies, lectionis spiritualis loco tibi servient. Eo maximè tempore per dies aliquot continuos huic negotio operam à te dari optarem, quo ad Confessionem, ut vocant, Generalem te disponere cogitas, quod ante finem Studiorum Humaniorum fieri plurimum expedit. Mirabilem inde tibi Conscientiæ quietem, feliciorémque in facienda statûs electione successum polliceor; sicut in pluribus læta me docuit Experientia. Vale, & si te, si animam tuam amas, bene tecum sentienti obsequere.